JOHANNIS SCOTI ERIGENÆ

DE VERBO

DIVINO, INCARNATO, REDEMPTORE

SENTENTIA

SEU

CHRISTOLOGIA.

DISSERTATIO DOGMATICO-HISTORICA

QUAM, DEO BENE VERTENTE,

Consensu et auctoritate amplissimi ordinis Theologorum Argentorati florentis,

Die XXX mensis Aprilis anni MDCCCLXVII,
hora post meridiem tertia,

PRO CAPESSENDIS LICENCIATI THEOLOGIÆ HONORIBUS,

PUBLICE DEFENDET

JULIUS STEEG.

ARGENTORATI,

TYPIS G. SILBERMANN.

ANNO MDCCCLXVII.

PRÆSIDE

VIRO SUMME COLENDO

TIMOTHEO COLANI

moderabuntur solemne publicum examen
die XXX mensis Aprilis, hora post meridiem tertia
celebrandum,

TRIUMVIRI DOCTISSIMI

TIMOTHEUS COLANI,
FREDERICUS LICHTENBERGER,
CAROLUS SCHMIDT,

s. s. theologiæ DD.

Almæ Scholæ theologicæ argentoratensis pp. oo.

JOHANNIS SCOTI ERIGENÆ
DE VERBO
DIVINO, INCARNATO, REDEMPTORE
SENTENTIA
SEU
CHRISTOLOGIA.

Quum diversas de Christo opiniones ab origine religionis christianæ investigamus, totam persequimur simul christianæ theologiæ historiam. Si enim perclare nobis lucesceret quid quisque de Christo senserit, totam cujusque theologiam haberemus compertam. Christus enim quum sit omnibus is in quo Deus homini occurrerit, et homo Deum amplexus fuerit, necesse est ad Christum cognoscendum, de Deo erudiamur et de homine, et doceamur quid ambos diviserit, quid sit peccatum, quid gratia, quo pacto Deus ignoscat, homo redimatur, ad quem finem tendat redemptus, quid auxilii Christus ferat, quo pacto in unum eumdemque illum tam diversa concurrant, breviter, quid sit Deus, quid homo, quid mundus, et qua conditione seu distincti, seu invicem devincti subsistant. Hoc in cardine omnis christiana astringitur et solvitur theologia.

Nono sæculo, quum Parisiis in palatiali schola floreret Johannes Scotus Erigena, jamdudum de Trinitate et de Christi persona supremam tulerat Ecclesia sen-

tentiam, in Symbolo «quicumque» dicto, ubique a Gallis accepto, peremptorie expressam. Nulla igitur immutandi via relicta; nulla temerariæ singulorum menti commissa interpretatio; sepe circumclausa doctrina. Attamen ingenio erat nimium ingenti et alto Johannes noster, quam ut periculo suo non tentaret propriam veritatis indagationem, et non ardua speculativæ philosophiæ moliretur.

In unum punctum, in unam æternam veritatem concurrere credit seu Scripturam, seu Doctorum libros, seu Ecclesiæ doctrinam, seu pie philosophantium meditationes: auctoritati itaque non resistit, dumtaxat congruat rationi. «Auctoritas si quidem ex vera ratione processit, ratio vero nequaquam ex auctoritate. Omnis enim auctoritas, quæ vera ratione non approbatur, infirma videtur esse. Vera autem ratio, quoniam suis virtutibus rata atque immutabilis munitur, nullius auctoritatis astipulatione roborari indiget.» Quam generose locutus, et quanto posterorum exemplo! Indicium præbet insigne, quomodo nullis quam prudenter fabricatis impediri vinculis possit mens humana, vel in minus liberis temporibus. Firmis simul argumentis comprobat, velit nolit, lubricum esse orthodoxæ fidei solum, periculis undique circumdatum, ubi securius quis humiliter sedeat, quam audax progrediatur. Non enim philosophiæ laudem persequitur doctrina Symboli, nec contendit esse rationalem. Heresin solummodo fugit, vel contrariorum affirmatione. Qui ratiocinatur, confestim ab hac tenuissima, quasi novaculæ lamina, deflectit linea quam inter scopulos rationis dogmata ducunt catholica. Quæ noli tangere. De his dicendum: «Sint ut sunt, aut non sint!»

Eo facilius certiusque a recta fide discessurus erat Johannes Erigena, quod vestigia Areopagitæ et Maximi confessoris secutus est, atque ex eorum operibus, neoplatonicis quidem, principia hausit theologiæ suæ. Non est hic locus de his Scoti præcursoribus et magistris disserendi : sat illorum commemoravisse maximam in nostrum auctoritatem, ab ipso denuntiatam, ab omnibus agnitam. Sed duplici ratione ab illis differt. Primum firmior est et acrior ingenio, sibi magis constat; majori amplectitur et consequitur animi vigore materiam cogitationis; ad propositum audaciori passu graditur, dialecticam impavide secutus usque in altissimos vertices. Præterea in regione vigebat et tempore in quibus arctius jam ecclesiæ dogmata et pluribus nodis mentes vinciebant, ita ut major adhibenda esset cura ne in illicita incideretur. Unde fit ut contraria simul occurrant in ejus libris, eumque invenias prædecessoribus audaciorem, quum orthodoxæ fidei propior esse videatur. Quo revera logicis legibus fideliorem eum habes, eo minus in omni parte congruentes inter se doctrinas exstruere ausus est. Quod optime in Christologia apparet, ubi verba rebus non aptantur, et sub specie catholicorum dogmatum longe alia translucet philosophia. An sciens et prudens fecerit nec ne, difficile dictu : quod paulo serius expendemus conjectura.

Sive in prima parte Verbum Deum, sive in secunda Verbum Hominem, sive in tertia Verbum Salvatorem consideraverimus, atque ita omnia perlegerimus quæ de Christo scripserit Erigena, ad eamdem semper, in intimo philosophicam, specie ambiguam, adducemur conclusionem, in quam concurrunt simul ejusdem doctrinæ de Deo, de homine, de reditu omnium, aut,

ut verbis utamur scholam redolentibus, *Theologia*, *Anthropologia* et *Soterologia*, qua quidem divisione omnis continetur dogmatum materies.

I.

VERBUM DEUS (*Theologia*).

Præcipuum opus Johannis Scoti Erigenæ[1], ut sciunt, *de divisione naturæ* agit, quod ipsum nomen jam nos in penetralia philosophiæ ejus inducit; omnia enim, sive Deum sive mundum, sive Creaturam sive Creatorem, uno vocabulo, Naturæ quidem, comprehendit. Hanc universam naturam in quatuor dividit species, quarum prima quæ creat et non creatur, secunda quæ creatur et creat, tertia quæ creatur et non creat, quarta quæ nec creat nec creatur. Quæ vero quatuor binæ sibi invicem opponuntur; nam tertia opponitur primæ, quarta vero secundæ; aut potius, prima cum quarta unam efficiunt speciem, secunda cum tertia alteram[2]. Nam prima Deum ut principium omnium considerat, quarta vero sub specie finis; secunda mundum in causis suis primordialibus, tertia in effectibus eumdem

[1] Johannis Scoti opera quæ supersunt omnia, partim primus edidit, partim recognovit H. J. Floss, 1853. Patrologiæ a Migne editæ. tomus CXXII.

Consulenda sunt, inter alia, hæc de Johanne Scoto opera:

C. B. Schlueteri, Præfatio in librum *De divisione naturæ* (apud Floss).

F. C. Baur, *Lehre von der Dreieinigkeit*, t. II. Tübingen 1842.

Saint-René Taillandier, *Scot Erigène et la philosophie scholastique*. Strasbourg 1843.

Th. Christlieb, *Leben und Lehre des J. S. Erigena*. Gotha 1860.

[2] Floss., *De divis. nat.*, p. 526.

intuetur; quæ duplex divisio Spinosæ naturam naturantem et naturam naturatam in memoriam revocat.

In quam partem collocemus Verbum, primo aspectu dubium est, quum ad quatuor simul pertineat, ut aperte videbimus, et inter creantia et creata id vicissim numeret Johannes : in prima tamen cum fiducia locum ei assignare licet, quum sit Deus, « Deus Verbum, » aut Filius Dei, unus ex Trinitate : « Pater enim et Filius et Spiritus sanctus unum sunt, et tres unum. — Tres autem esse naturalis admonet ratio secundum substantias, dum sunt unum secundum essentiam. Nam et Abraham, et Isaac, et Jacob unum sunt juxta naturalem essentialitem, tres vero secundum substantialem differentiam. — In Patre deitatem ingenitam, in Filio genitam, in Spiritu sancto procedentem accipimus et religiose credimus. » Haud difficile multa alia de Trinitate et de Verbo Deo apud Scotum possunt inveniri, quæ rigidissimus orthodoxæ fidei sectator approbet.

Videamus tamen quomodo hæc cum ejus de Deo notione consentiant. Docet enim, vestigiis ingressus Areopagitæ, divinam naturam omnibus incomprehensibilem esse, ita in se ipsa absconditam ut nullo modo possit ab ullo intellectu definiri vel intelligi quid sit. Ne se ipsam quidem cognoscit. Non igitur Deo personæ nomen dare licet, quum personæ proprium sit, se ipsam cognoscere. « Si Deus enim cognoscit se ipsum quid sit, nonne se ipsum definit? Ac per hoc non universaliter infinitus est. — Quomodo igitur divina natura se ipsam intelligere potest, quid sit, quum nihil sit? Superat enim omne quod est, quando nec ipsa est Esse. — A nullo, nec a se ipso, mensuratur, numeratur, ordinatur, quum solus vere in omnibus supra omnia

infinitus existat. [1] » Si hoc datum fuerit, si conscientia et intelligentia sui Deo fuerit denegata, quid de Trinitate adhuc disserendum? Deo nec facere nec pati attribuere possumus, nam hæc accidentia sunt, ne quidem facere mundum aut creare : « quum ergo audimus Deum omnia facere, nil aliud debemus intelligere, quam Deum in omnibus esse, hoc est, essentiam omnium subsistere. » Qui nec facit, nec patitur quidquam, non in eum hæc Trinitatis divisio incidere potest, quum nihil aliud sit quam modus quo Deus agat et patiatur. Non solum facere et pati; non solum sui intelligentia abnuuntur Deo; sed nullam decem categoriarum Logicæ accipit, ne habitum quidem aut relationem. « Omnis quippe habitus in aliquo subjecto intelligitur, et alicujus accidens est, quod de Deo, cui nullum accidit, et qui accidit nulli, in nulloque intelligitur, et nullum in illo, impium est credere. » Asserit autem Erigena Patrem, Filium et Spiritum sanctum nomina habitudinum esse. Si Deus autem non recipit habitudinem, quid Trinitati restat, quid Verbo divino? Quid de Trinitate adhuc sentiendum, si Deus se ipsum non intelligit, si nec amat, nec agit, nec patitur, quum Trinitas sit in Deo intelligentia et amor sui, et relatio seu ad seipsum, seu ad creaturam? Nil restat, nisi verba et voces, aut, ut verius loquamur, subsistit non in Deo sed in homine Trinitas. Hominis intellectus Deum ex diversa parte considerat, atque, quum non possit incomprehensibilem comprehendere, et infinitum definire, eum modo ut principium, modo ut finem, modo sub specie æternitatis, modo in tempore agentem intuetur,

[1] P. 589.

et vicissim Patrem, Filium, Spiritum sanctum nominat. Homo ipse trinus, quum in se discernat essentiam, mentem, sensum, aut aliis verbis, essentiam, virtutem, operationem, hanc in Deum confert divisionem [1], ita ut non imago Dei animæ nostræ sit impressa, sed animus Deum ad suam effigiem fingere videatur. Si Trinitas igitur solummodo in intellectu humano subsistit, et nihil est aliud ac logica divisio vel species, num Dei Verbo, istius Trinitatis secundæ parti, propriam licet tribuere existentiam? Nullo modo. Habemus autem in conspectu invicem repugnantia: nam contraria vicissim asserit Johannes, duplici argumentorum serie.

Neque hoc illum fefellit, nec contradictionem attenuare conatur. Sed contra, rem ad regulam adducit, duplicis aut bipartitæ theologiæ theoria, quam accipit auctoritate suadente Areopagitæ : una enim *cataphatica*, affirmat; altera *apophatica*, negat affirmata. Una affirmat Deum esse, et quidem esse bonum, intelligentem, substantiam omnium, et creare, amare, irasci, omniaque quæ Scriptura seu sancti Theologi de eo prædicant, « ut aliquid de re ineffabili atque incomprehensibili religiosi piorum animorum motus cogitare possint. » Altera autem, superior veriorque, et Deo dignior, omnia asseverata negat, Deumque super omnem linguam et omnem intellectum extollit. Una loquitur translative, hominibus apte; altera proprie. « Hæc est cauta et salutaris et catholica de Deo prædicanda professio, ut prius de eo juxta *cataphaticam*, id est affirmationem, omnia sive nominaliter,

[1] P. 456.

sive verbaliter prædicemus, non tamen proprie, sed translative; deinde ut omnia quæ de eo prædicantur per *cataphaticam*, eum esse negemus per *apophaticam*, id est negationem, non tamen translative, sed proprie. Verius enim negatur Deus quid eorum quæ de eo prædicantur, quam affirmatur esse[1]. »

Nil igitur mirum, quum Verbum Dei non vere et distincte existat in Deo, sed ab hominis intellectu ratiocinandi causa concipiatur, si illi secundam adscribat Johannes Scotus naturæ speciem, quæ ad creaturam pertineat. Ceterum tam arcto intimoque conjuncti sunt vinculo apud nostrum creator et creatura, ut vix queas cogitatione diversas has quatuor naturæ partes separare; reapse idem et unum sunt[2]. Hæc secunda species est quæ creatur et creat; primordiales continet causas, quæ a Deo creantur, et mundum in effectibus suis creant. Sunt primordiales causæ species vel formæ, in quibus omnium rerum faciendarum, priusquam essent, incommutabiles rationes conditæ sunt. « Eas Pater in unigenito filio suo, qui Principii appellatione nominatur, ante omnia quæ condita sunt, creavit. » Id Principium omnes primordiales causas continet, sustinet, unitate colligit, ita ut in eo unæ sint, et unum cum eo. Est igitur Verbum primordialium causarum summa, mundi æternum in mente divina exemplar aut *prototypon*. De eo ut de Filio unigenito loquitur Scotus, quippe qui ante oculos habeat Verbum, ut ita dicam

[1] P. 522.

[2] « Quid si creaturam Creatori adjunxeris, ita ut nil aliud in ea intelligas, nisi ipsum qui solus vere est,... num negabis Creatorem et creaturam unum esse? *Disc.* Non facile negarim; huic enim collectioni resistere videtur mihi ridiculosum esse. » p. 528.

ecclesiasticum, quod vivit, agit, creat, ut jam in Procemio quarti evangelii apparet. Sed contemplabatur simul Verbum philosophicum, et neoplatonicum illud, quod vel paululum immutatum in scriptis Areopagitæ et Maximi invenitur. Verbum quidem johannicum et alterum philosophicum ab uno eodemque Platone, per Philonem Proclumque non ducere originem non ausim affirmare.

Utcunque se res habeat, duas Verbi significationes in unam coagmentare voluit Erigena, sed in philosophicam omnino inclinavit. Quo enim consilio hanc imaginatus est theoriam Verbi divini primordiales causas in se ipso continentis, et multiplicem proferentis creaturam? Nullo alio quam ut intermedium quoddam inter super substantialem abstractumque Deum et visibilem mundum multiplicemque indiceret, quos immensum logicæ spatium dividit. Sperabat tale principium, quum medium quoddam teneret inter extrema, et Deo propius esset quam creatura, et creaturæ propius quam Deus, rationem facilius reddere inexplicabilis ejus transitus de cogitatione in rem, de unitate in varietatem, de infinito in finitum, de æterna quiete in motum, de simplici et absoluto superesse in accidentia et mutabilia. Quod quum ita sit, jam Verbum appellatione Dei non dignum est, eminenti sensu, sed Arianum illum in memoriam vocat Christum, a summo Deo creatum ut vice sua cetera creet. Non diu tamen in hac ariana, ut ita dicam, mythologia moratur Scotus, qui nec Deo, nec illi mediæ creatrici creaturæ, nec ipsi mundo distinctam individuamque essentiam tribuit, sed omnem illam in solo credit humano intellectu divisionem esse. Attentius

respicienti primordialium causarum summa, Verbum Dei, non persona apparet, sed quædam intellectualis notio, qua mundus in causa sua, aut Deus ut mundi causa et principium consideratur. Sicut enim Deus invisibilis est et incomprehensibilis, sic quoque primordiales causæ. « Abyssus dicuntur propter earum incomprehensibilem altitudinem, infinitamque sui per omnia diffusionem, quæ nullo percipitur sensu. Ex effectibus autem, hoc est processionibus ejus abyssi in intelligibiles formas, cognoscitur solummodo quia est, non autem intelligitur, quid est. » Evoluta autem causarum primordialium unitate, adsunt bonitas in se, essentia, vita, ratio, intellectus, etc. Sunt ista nomina divina, quæ *cataphatica* enumerat theologia; per se non subsistunt; conjuncta nulli alii aptantur ac Deo. Fatetur ultro Scotus prædictum istum « ordinem primordialium causarum non in ipsis, sed in theoria, hoc est in animæ contuitu quærentis eas, earumque, quantum datur, notitiam in se ipsa concipientis, eamque quodammodo ordinantis, constitui, ut de eis certum aliquid puraque intelligentia definitum pronuntiare possit[1]. » Causæ primordiales in Verbo Dei uniformiter et incommutabiliter unum et id ipsum ultra omnes ordines omnemque numerum æternaliter subsistunt : in humana mente apparent diversæ. Unde concludendum eas ab homine formari, modoque in unitate concipi, tuncque appellari Verbum, modoque in varietate, tuncque causarum primordialium nomen accipere. Neque hoc Scotus dissimulat : « quot primordiales causæ sunt, inquit, aut, ut cautius eloquar,

[1] P. 624.

quot in contemplantium intellectibus formantur seu formari possunt, tot earum ordines recte philosophantibus juxta capacitatem singulorum theoriæ, prout quisque voluerit ultro se offerunt. »

Sin autem in se ipsis causæ primordiales incommutabiliter unum sunt, et in solo hominis intellectu sese explicant in varietatem, in quem usum sint non capio. Nec multiplicis et visibilis mundi in hac incommutabili et invisibili unitate principium, nec in hac intellectuali notione distinctam vivamque personam aspicio. Verbum Dei, causarum primordialium summa atque unitas, nedum persona sit, suprema videtur abstractio, abstracta causalitas, idealis ut ita dicam unio et permeatio divinitatis et mundi. Sive igitur in Trinitatis divisione Verbum intueamur, sive in causarum primordialium unitate, utrinque psychologicam operationem habemus, cogitandi rationem quæ demum in sola mente hominis sita est. Hæc est *propria* Johannis Scoti doctrina: quæ ab ea abhorrere videntur, dicuntur *translative*.

II.

VERBUM HOMO (*Anthropologia*).

Verbum fit homo: hæc est Ecclesiæ doctrina, hæc quoque Johannis Scoti. Quod ad Ecclesiam attinet, perclare scimus quid de incarnatione sentiat: secunda Trinitatis persona, Deus Filius, fit quidam vir, Jesus Christus, natus de virgine Maria, in Bethlehem, non homo quidem simplex, sed ex duabus naturis constitutus, e divina scilicet atque humana, unam personam coefficientibus. Similia pluribus in locis affirmat Erigena, sed facile conjicies eum in verba ecclesiastica aliud quid inseruisse, quum Verbum divinum singu-

lari modo intelligere eum jam cognoscas. Duobus modis interpretatur incarnationem.

1° Incarnatio est descensio causarum in effectus, id est mundi creatio. Hæc autem descensio necessaria est æternaque. Necessariam dico, nam causæ sine effectibus non subsistunt, neque effectus sine causis; sublatis illis hæ cadunt; « hæc enim relativorum ratione simul oriuntur, et simul accidunt, simul et semper permanent. » Sin igitur causa effectui alligatur, ita ut jam non sit causa, si effectus non est, descensio causarum in effectus necessaria erat. « Si Dei sapientia, id est Verbum, in effectus causarum quæ in ea æternaliter vivunt, non descenderet, causarum ratio periret: pereuntibus enim causarum effectibus nulla causa permaneret[1]. » Non propter effectus solum, sed propter causas necessaria erat hæc descensio, itaque propter Verbum, qui non esset, nisi descendisset in effectus. Æternamque eam dico, nam causæ sunt æternæ, et quum sine effectibus non sunt, earum cum effectibus unio, aut in effectus descensio æterna est. « In Verbo Patri coæterno omnia æterna sunt simul et facta. Quod enim de causa prædicatur, qua ratione non etiam de causativis prædicari possit, non invenio. Omnia igitur quæ sunt, et æterna simul et facta non incongrue dicuntur, dum in eis fit sapientia ipsa, quæ ea facit, et causa, in qua et per quam et æterna et facta sunt, in eis æterna et facta est. »

Nihil ergo in hac descensione causarum aut incarnatione Verbi illam commemorat, liberam, voluntariam, singularem, historicam, qua Verbum homo fac-

[1] P. 912, cf. p. 646.

tum est in utero virginis Mariæ; sed clarius hic apparet quod prius jam indicavimus, Verbum seu æternum, seu incarnatum, apud Erigenam nihil aliud significare nisi perfectam Dei unionem et mundi, mutuamque amborum et indissolubilem colligationem. Verbum in prima specie naturæ modus est mentis nostræ, quo Dei substantiam ad humanam intelligentiam accommodamus; in secunda specie causas abstractas aut mundum idealem significat; in tertia causarum et effectuum intimam, necessariam æternamque adhæsionem, qua Deus in mundo et mundus in Deo subsistit: quam recentiores philosophi *Immanentiæ* nomine appellaverunt.

2° Non docet Erigena solum: Verbum fit mundus, fit in mundo, sed etiam: Verbum fit homo. Propius instemus illi. — Homini summam tribuit dignitatem, quia in eo centrum aspicit totius universitatis rerum. « Constat enim inter sapientes, in homine universam creaturam contineri. Totius siquidem creaturæ quinquepertita divisio est. Aut enim corporea est, aut vitalis, aut sensitiva, aut rationalis, aut intellectualis. Et hæc omnia omni modo in omni homine continentur. » Hunc in creatione locum obtinet homo quia in eo duæ conjunguntur naturæ, spiritualis scilicet et corporea, mens et materies; omnes in se creaturæ gradus habet, a summa usque ad infimam: animo Deum attingit, corpore autem extremos inertis naturæ fines. « Humana natura in universitate totius conditæ naturæ tota est, quoniam in ipsa omnis creatura constituta est, et in ipsa copulata est, et in ipsam reversura et per ipsam salvanda[1]. » Asserit autem sæpius Erigena hoc corpus

[1] P. 760.

propter peccatum adjunctum et superadditum fuisse, hancque materialem naturam pœnam esse peccati. Quid ergo? Antequam peccaret, quum melior esset homo, minor erat, et peccatum eum, corporis dono, ad hoc extulit fastigium altitudinis divinæ? Nonne homo ante peccatum perfectus, aut peccati gratia magis perfectus evasit? Nequaquam: sed nullo tempore perfectus fuit homo. Quod de perfecto statu dicitur, ad hominis notionem, non historiam pertinet. « Homo enim peccato nunquam caruit. Nullo temporali spatio homines fuerunt in paradiso. Proinde plus, ut arbitror, laus illa vitæ hominis in paradiso referenda est ad futuram ejus vitam, si obediens permaneret, quam ad peractam, quæ solummodo inchoaverat, nec unquam steterat. Nam si saltem vel parvo spatio stetisset, necessario ad aliquam perfectionem perveniret[1]. » Nullo tempore fuit homo perfectus, nam si fuisset, et mansisset; non enim credibile est, eum perfecta Dei et pura contemplatione fruentem, suadente femina subito corruisse. Non cecidit homo de perfecta vita in peccatum; sed de peccato ad perfectam vitam ascendet. Quæ perfectio finis est hominis, principium ejus naturæ ad quod tendit spectatque; principium, si notionem consideras, finis, si animum ad tempus advertis. Perfectio præcedit peccatum in sola visione Dei, qui totum curriculum oculis perlustrat, metamque jam initio cursus intuetur.

Homo igitur non cecidit, sed talis creatus est qualem eum videmus, cum hac duplici natura, intellectuali quidem et sensibili. Harum conjunctio hominem

[1] P. 809.

facit; sine corpore angelus esset. «Non peccatum de homine fecit animal, sed natura: siquidem et homo, si non peccaret, animal esset.» Talem eum voluit Deus, talem eum creavit, «quoniam in ipso omnem creaturam voluit creare.» Ubi primum homo ex animo et corpore constitit, mundus fuit, causæ descenderunt in effectus. Sed quomodo dici potest, res omnes in homine creari? Quia res non in se ipsis subsistunt, sed in notitia quam earum habet homo. «Res ipsa et sui cognitio unum sunt.» Nec mirum. Si res enim in prima elementa dividamus, facile nobis persuasum erit nil corporale eis inesse, sed omnia hæc prima elementa spiritualia quidem in hominis intellectu locum habere. «Quid mirum, corpora quoque naturalia, ex qualitatibus elementorum mundi composita, in ea natura, in qua eorum notitia est, subsistere, præsertim quum omnia, quæ circa corpora sentiuntur (ut species, colores, formæ, quantitates, qualitates etc.), incorporea sint?»

Quod de Verbo dictum fuit, dicendum est igitur de homine: homo est rerum causa, notio, intellectus, locus; in eo omnia creantur, in eo omnia sunt[1]. Quum autem descensione causarum sunt, quid hæc causarum descensio, nisi homo ipse? quid incarnatio Verbi, nisi homo spiritualis carnem assumens, corpore vestitus, sensibilem naturam naturæ jungens intellectuali? Nihil discriminis inter Verbum hominemque interesse video: quæ modo in causis intuebamur, nunc aspicimus in effectibus; eadem est rerum

[1] «Si res ipsæ in notionibus suis verius quam in se ipsis subsistunt, notitiæ autem earum homini naturaliter insunt, in homine igitur universaliter creatæ sunt.» p. 774.

essentia, eadem notio. Fatetur ipse Scotus : « Non quod alia sit omnium essentia, ut sæpe diximus, in Verbo, alia in homine, sed quod unam eamdemque aliter in causis æternis subsistentem, aliter in effectibus intellectam mens speculatur [1].» Verbum incarnatum homo est ipse, qui omnia in se continet, creat et est, quia omnia intelligit. Hominem et Christum eumdem esse negare non possumus: « quoniam Christus quatuor humanæ naturæ partes accepit et in se ipso adunavit, universam creaturam, hoc est, intellectualem et sensibilem assumpsisse, et in se ipso adunasse manifestum est [2].» Christus ille qui totam assumpsit humanitatem, animam et corpus, intellectum et sensum, atque ita omnem creaturam adunat, homo est in se, homo, ut ita dicam, idealis, seu ipsa humanitas : quod clarissime illustraverunt Baur et Christlieb, optimi interpretatores Erigenæ.

Quod si breviter ea quæ de theophaniis disseruit, colligimus, reperiemus his haud dissimilia, ad eamdemque sententiam adducemur. Deus. ut jam pro certo habemus, a nullo conspici potest intellectu. « Divinam essentiam nulli corporeo sensui, nulli rationi, nulli seu humano, seu angelico intellectui per se ipsam comprehensibilem esse » sæpius asseverat Erigena. Quod de Deo videmus, nihil est nisi imago vel apparitio Dei, quæ memoriæ committitur, « quasi quædam imago imaginis expressa.» Suprema autem *theophania* (quod talium Dei imaginum nomen est) in primordialibus causis est, in Verbo, quod imaginem Patris appellant; non tamen illud in se ipso absconditum et supra om-

[1] P. 979.
[2] P. 541.

nem rationem excelsum Verbum ; sed vera theophania «fit ex descensione Verbi.» Nisi Verbum descenderet, permaneret invisibile, nec ulla fieret theophania. Hoc igitur manet, Verbum incarnatum theophaniam esse. Sed theophanias ubique videt Erigena, res corporeæ theophaniæ sunt, et quidem evidentissimæ. « In quantum longius ordo rerum deorsum descendit, in tantum contemplantium obtutibus manifestius sese aperit. Ideoque formæ ac species rerum sensibilium manifestissimarum theophaniarum nomen accipiunt[1]. » Quid ergo ? Num omnis creatura theophania est ? Huic conclusioni Scotus non repugnat : «Omnia quæ dicuntur esse, Dei theophaniæ sunt. — Ideo omnis visibilis et invisibilis creatura theophania potest appellari.» Habemus confitentem : Mundus est theophania Dei, Verbi condescensio. Sed memoria teneamus has theophanias non extra nos, sed in nobis fieri, in contemplantium intellectibus. Quot intellectus sunt, tot apparitiones Dei. Prout homo res cognoscit, subsistunt, et theophaniæ fiunt. Res in homine substantialiter sunt, quia eas cognoscit, quum datum sit, rem et rei notionem idem esse. Scotus hominem alicubi sic definit : « Homo est notio quædam intellectualis in mente divina æternaliter facta[2].» Haud difficile, ni fallor, theophaniarum ope, definitionem in aliud vertes : scilicet mundum notionem quamdam in mente humana factam, hominemque unicam Dei theophaniam esse. Unde merito concluditur iterum, hominem Verbum esse incarnatum, quippe qui in mente sua Deum, mundumque imaginem Dei, cogitatione repræsentet et intueatur.

[1] P. 681.
[2] P. 768.

Nedum tamen de Jesu Christo Nazareno sileat Scotus, multa de ejus vita commemorat, atque in eo Verbum factum fuisse hominem profitetur, convenienter orthodoxæ fidei. Quin etiam, mira hæc scripsit inter alia: « Redemptor mundi nusquam nunquam talem (ut ceterorum hominum esse solet) ignorantiam perpessus est, sed confestim ut conceptus et natus est, et se ipsum et omnia intellexit, ac loqui et docere potuit, non solum quia sapientia Patris erat, quam nihil latet, verum etiam quia incontaminatam humanitatem acceperat[1].» Quomodo hæc similiaque cum Scoti doctrina congruant, videat alius. Forsan et aliquis dicet omnia hæc allegorice scripta. Inficiari quidem nullus potest quin allegoria apud Johannem Scotum præcipuas partes habeat, atque totam sanctorum librorum historicam materiem extenuare et exsugere videatur. Sic narrationes de creatione, de paradiso, de serpente, de femina decepta, de angelo ensifero, de Moyse et Pharaone, de exitu ex Ægypto, de rubro mari, de Naamani sanatione, de decem leprosis, de duobus piscibus plebi distributis, de Christi morte, resurrectione, ascensione in cœlum, multaque alia typice interpretatur Erigena. Quid mirum si omnia quæ de Christo narrantur, ut viro uni non apta, in allegoriam verterit? Forsitan et non. Nam si optime et fortiter astrictis argumentis e propositionibus conclusiones educit accuratas, non sibi tamen ubique et semper constat, nec in conclusionibus perseverat: unde plurima apud eum discrepantia atque ex inopinato moventia admirationem.

[1] P. 777.

III.

VERBUM REDEMPTOR (*Soterologia*).

Verbi incarnatio spectat ad redemptionem. Christus subit peccati pœnam, moritur pro hominibus, et morte sua piaculari eos a supplicio æterno vindicat. Quæ verbis tenus apud Erigenam inveniri, sed sensu longe alio non ampla eget expositione. Primum enim, ut vidimus, non persona est Verbum, sed pura notio; deinde incarnatio Verbi fit in omni homine; insuper incarnatio aut assumptio carnis est assumptio peccati, nam peccatum in carne, in corpore subsistit, in ipsa sensibili natura, in divisione visibili rerum. Peccatum vocat et peccati consequentiam hanc visibilem multiplicemque naturam; ideoque peccato inficitur Verbum si modo in hunc mundum delabitur. Propter eas rationes, non vera fieri potest per Christum hominum redemptio. A quo autem redemisset eos? A malo? « Malum omnino non est[1]. » Essentia enim omnium rerum quæ sunt, Deus est; malum autem si in Deo essentiam habet non est malum; si non in Deo subsistit, non est omnino. « Corruptio non est malum, sed deficiens bonum[2]. » Id quod malum homines vocant, potius erroris nomine dignum est; nunquam malum homines appetunt quia malum, sed quia bonum id existimant. Errat intellectus et voluntatem decipit. Error autem non vere existit, sed falsam rei speciem præbet. Ne dæmones quidem quemquam corrumpere possunt; nam in homine quid possent corrumpere? An essen-

[1] P. 925 et seq.
[2] P. 934 et seq.

tiam, virtutemve, aut actionem, e quibus constat homo? Hæc tria in omnibus incorruptibilia sunt, quoniam in his tribus omnis natura subsistit, quæ nullo modo corrumpi potest, quum sit a Deo condita[1]. Natura ipsa dæmonum non est mala; quæ si mala esset, semper esset mala; natura enim non mutatur. Sed « naturam mali et malitiæ æternam esse impossibile est[2]. » Nulla igitur natura est mala. Mors, interitus rerum corporumque nihil habent mali: « augeri enim accidentia substantiæ, vel minui, neque malum est, neque corruptio, sed profectus quidam atque defectus substantiarum. Omnis corruptio quæ in natura rerum mutabilium intelligitur, aut defectus perfectionis est, aut de specie in speciem transitus materiæ, quæ omnia non mala[3]. »

Si quis universam rerum naturam intueretur, et optime cognosceret causas rationesque, nihil in hoc pulchro divinoque ordine inveniret mali, sed omnia sub diversa specie diversisque nominibus, ad bonum æternum concurrentia, ut in pictura varii colorès et dissimilia lineamenta, quæ singula ac seorsum non placerent, pulcherrimam produnt effigiem. « Nam quod deforme per se ipsum in parte aliqua universitatis existimatur, in toto non solum pulchrum, quoniam pulchre ordinatum est, verum etiam generalis pulchritudinis causa efficitur. » Unde merito concludit Erigena: « Quod in toto malum non est, malum fieri in parte non potest, quamvis videatur illicitum esse atque purgandum[4]. » Si res ita sunt, quid purgationis, quid re-

[1] P. 933.
[2] P. 933.
[3] P. 934.
[4] Cf. p. 982.

demptoris opus? Multum tamen de redemptione disserit Erigena, eamque in magno pretio habet. Redemptio est reditus in Deum. Quam de reditu doctrinam, minime, ut ait, ab Ecclesiæ Patribus expositam, summis laudibus effert, ut absconditam divinæ cognitionis clavem.

Omnia scilicet ad principium suum tendunt, ut diligenter intuentibus apparet. Non desunt exempla: Sphæra cœlestis « astrigeraque, » volubilis semper, semper ad idem punctum in viginti quatuor horarum spatio redit; recurrit sol in quatuor annis ad idem punctum æquinoctialis diametri; redit luna, redeunt planetæ ad principia cursus sui, ut omnibus astrologiæ peritis notum est. Idem de animantibus, herbis, terrenisque omnibus dici potest. « Nulla corporea creatura est, vitali motu vegetata, quæ non ad principium motus sui revertatur. Finis enim totius motus est principium sui [1]. » Cujus universi reditus præcipuum præbet exemplum ars dialectica, quæ primo circa essentiam volvitur, deinde per genera generalissima mediaque genera usque ad formas et species specialissimas descendit, et « iterum complicationis regulis per eosdem gradus, per quos degreditur, donec ad ipsam essentiam, ex qua egressa est, perveniat, non desinit redire in eam, in qua semper appetit quiescere. » Quum dialecticam depingit, totam definit rerum naturam, quæ ambo, ni fallor, in eumdem processum cadunt.

Extremum descensus punctum attingit homo, quippe qui sensibilem et corpoream naturam in se contineat; itaque ab eo inchoat reditus. Noli oblivisci hunc reditum

[1] P. 866.

redemptionem esse, sed redemptionem sine redemptore, quæ sponte sua, necessario rerum cursu, eveniat vel egerminet. Primum enim reditus initium mors est. « Ubi ruinæ suæ homo finem posuit, inde iterum redire inchoavit; finis autem ruinæ solutio corporis est. Ex solutione itaque corporis reditus naturæ proficiscitur[1]. » Quinque reversionis gradus discernit : primum in morte, quando corpus in quatuor elementa sensibilis mundi revocatur; secundum in resurrectione, quando quisque proprium corpus ex elementis rursus recipiet; tertium quando corpus in spiritum mutabitur; quartum quando hominis natura tota in causas primordiales revertetur; quintum denique quando ipsa natura cum suis causis in Deum movebitur. « Erit enim Deus omnia in omnibus, quando nihil erit nisi solus Deus. » — Hæc omnia necessitate quadam ineluctabili accidere quis non videt? Mors enim commune est omnium fatum; resurrectio non minus communis et necessaria videtur. Suas de hac quæstione dubitationes nobis narrat Erigena. Cogitaverat prius resurrectionem mortuorum non nisi sola Redemptoris gratia futuram, nulla naturali virtute cogente, ita ut, si Verbum non fuisset caro factum, nulla mortuorum resurrectio foret. Sed attentius consideranti occurrit nullam substantiam esse, a Deo conditam, quæ non æternaliter et incommutabiliter permaneat; ea, quæ perpetuo perseverare nequeant, accidentia esse; naturam autem humanam omniaque e quibus constet, non accidentia posse vocari; a Deo datum igitur hominibus et esse, et quod sequatur necessario, æternaliter esse. Hæc, auctoritate Epiphanii et

[1] P. 875.

Gregorii theologi fulta, ita convicerunt Erigenam, ut « priorem suam opinionem parvi pendens, resurrectionem mortuorum naturali virtute futuram esse concederet[1].» Nihil igitur insoliti in resurrectione mortuorum, nihil quod non sit naturæ legibus omnino consentaneum. « Nullum enim miraculum in hoc mundo contra naturam Deum fecisse legimus.» Ceteri reversionis gradus cum eadem necessitate e prioribus duobus, veluti priores illi ex humana natura, procedunt. Nam ea lex omnia regit, ut superiora semper inferiora ad se attrahant; « non enim ratio sinit superiora ab inferioribus consumi; inferiora autem in superiora transire certissimis approbationibus approbat.»

Ea lex ita generalis et naturalis est ut in nullum non cadat. Tota natura humana, cujus et boni et mali participes sunt, non solum omni morte atque malitia liberabitur, verum etiam in ipsum Deum revertetur[2]. Omnes erunt salvi; nam in supplicia non ibunt impii, quum jam impii non erunt : finita enim omni malitia, quis malus remanebit? Deficiente causa necesse est effectum quoque deficere. Malitiam æternam non licet existimare, quæ nihil sit, quum a Deo non sit. Eam nec novit Deus, itaque non punibit. Omnia in animo divino continentur et ejus scientia subsistunt. Malum et malitia, si Deus ea nosset, substantialiter subsisterent, neque causa carerent. Malum autem *incausale* est, ac per hoc in numero conditarum essentiarum non est, ideoque a divina alienatur notitia. Deus itaque impios nescit et angelos et homines[3]; illorum substantiam,

[1] P. 899.
[2] P. 921.
[3] P. 925.

omneque quod in eis fecit novit. Cetera vero, ut mentis errores et perversi motus, non mali quidem, sed illiciti, accidentia sunt, quæ Deus ignorat, atque in nihilum evanescent. Deus nullam punit creaturam quam fecit, nec in humana, nec in dæmonum substantia. Quod fecit, quia fecit, æternaliter et feliciter in eo subsistet. « Porro si universaliter malitia, et mors, aculeusque ejus, quod est peccatum, omnisque miseria, insuper etiam novissimus inimicus, nequitia videlicet dæmonica universalisque impietas, de natura rerum abolebitur : quid restat nisi ut sola universalis creatura, omni fæce malitiæ et impietatis purgata, omni morte corruptionis libera penitusque absoluta remaneat? Et hæc est generalis universæ creaturæ quæ a servitute liberabitur, resurrectio, mysticaque terræ, naturæ videlicet, renovatio[1].»

Redemptio igitur, seu omnium in Deum reditus, causam habet in infinita bonitate Dei, in legibus substantiarum, in intimis, ut ita dicam, naturæ humanæ visceribus. Quid ad hoc Redemptor Verbum? Quid mors Christi piacularis? Quid ecclesiastica de Christi procuratione doctrina? Quum Deus malitiam malumque nesciat, malosque punire nolit, quos ceterum non agnoscit malos, quid eget expiatione? Quum naturalis sit totius in eum creaturæ reditus, quid opus Redemptore? Vidimus autem nil esse incarnatum Verbum nisi hominem ipsum, pureque intelligimus quid sentiat Erigena quum de morte Christi loquitur. Nonne mors hominis reversionis seu redemptionis initium? Itidem et resurrectio Christi. Per eam humanitas Christi

[1] P. 935.

unum cum Deitate facta est, atque nunc nullo loco continetur, nullo tempore movetur, nulla forma seu sexu circumscribitur, quod autem omnibus hominibus proprium erit. Quid inter Christum hominesque ceteros discrimen, quum omnes in Deum redituri sint, unumque cum eo faciendi? Resurrectione Christus factus est verus idealisque homo, quum virilem sexum amiserit, unitatemque primordialem humanæ naturæ redintegraverit, et Paradisum adunaverit terrarum orbi. Quum ab oculis discipulorum post resurrectionem evanesceret, « non localiter recedebat, sed in subtilitatem spiritualis corporis carnalibus adhuc apostolorum oculis inconspicuum se occultabat. » Paradisus enim in quem resurgens ingressus est, nihil est ac restaurata et integra natura humana. Sin autem solummodo post resurrectionem in hanc integritatem spiritualis humanitatis ingressus est, antequam resurgeret, num ab aliis hominibus non differebat? Non differebat sane, quippe qui sit hominis figura, homo ipse, qui a morte initium facit redeundi in Deum, et per resurrectionem « materialem carnem cum suis accidentibus in spiritualem mutat naturam. » Resurrectio sequitur mortem, ut mors terrestrem hanc vitam, naturali fato, et æternam continuat promovetque ascensionem in Deum. Christi mors, resurrectio et ascensio processum illum typice figurant : « hoc totum resurgendo a mortuis in se ipso et perfecit, et exemplum omnium, quæ futura sunt, præmonstravit. » Resurrectio ejus est figura reditus in integritatem naturæ humanæ, et per ejus ascensionem in cœlum significatum est eum humanitatem in spiritum exaltavisse : nubes quæ eum suscepit ab oculis « claritatem ipsius et spiritualitatem indicabat. »

Ceterum juxta æstimat incarnationem redemptionemque; una alteram gignit. Quia totam humanam suscepit naturam Verbum, totam redimit et salvificat. Ut incarnatio necessaria et æterna est, ita redemptio. Nec, quod ad Deum attinet, redemptio est gratiæ donum, nec, quod ad hominem, libertatis aut fidei actus, sed dialectica progressio, logicus et fatalis motus. Ut omnia e Deo egressa sunt, ita in eum redeunt; aut, ut Deus in creatione fit, quadam suimet explicatione, ita in se ipsum se reducit, et in absolutam superessentiæ suæ unitatem regreditur. Quæ omnia confirmata reperies, si altius nobiscum in Johannis nostri velis cogitationem penetrare. Una via, inquit, hominem ducit ad hanc salutem, aut «Deificationem,» via scilicet contemplationis, cujus virtute vivet in æternum[2]. Contemplatione homo redimitur et justificatur, aut in Deum ascendit reditque, non fide, pœnitentia, sanctitate. Animus contemplatione se revocat a corpore, supra sensus se erigit; intelligit mundum theophaniam esse, hancque in mente humana evenire theophaniam, omnia nullo loco subsistere nisi in notitia quam rerum habeat homo, Deum in creatione fieri, et creationem in intellectu, intellectum itaque locum esse Dei, animumque igitur contemplantem Deumque contemplatum unum eumdemque esse: nam « si intellectus aliquis se ipsum perfecte intelligit, profecto Deum intelligit.» Intelligit autem se ipsum intellectus, quum omnia quæ in se ipso intuitus sit, ita a principio ad finem per medias evolutiones deducerit, et ad initium contemplationis suæ dialectica serie fuerit reversus. « Tota siqui-

[1] P. 862.

dem tunc humana natura in solum intellectum refundetur, ut nil in ea remaneat, præter illum solum intellectum, quo Creatorem suum contemplabitur[1]. » Jam tum clauditur contemplativa evolutio; jam Verbum quatuor lustravit species quas communi vinculo jungit; in prima Dei imaginem humanæ menti impressam, in secunda causas primordiales, in tertia causarum effectus multiplices, in quarta reditum generalem de effectibus in causas, de causis in principium ineffabile, effingit. Medietas est universa; hominem autem « medietatem et officinam omnium[2] » vocat Erigena; nec immerito, nam illud Verbum qui vicissim naturam creantem et creatam repræsentat, et semper omnes naturæ species præ se fert, remotis omnibus velis, hominem ipsum esse, seu genus humanum, quod omnia divina humanaque volvat animo, nullus est, ut opinor, recte intelligentium qui negare velit.

Perfacilis ludus esset his contradicentia, fidemque orthodoxam in omnibus punctis perfecte struentia ex Erigenæ libris excerpere. De Deo, de Christo alia docet, ac ea quæ breviter recensuimus; expedite apud eum invenies rectam Trinitatis expositionem, Deum exorabilem, personale Verbum, salutarem gratiam, liberam fidem, sanctorum beatitudinem, æterna malis inflicta supplicia, Jesu Christi vitam, miracula, humilitatem, obedientiam, ceteraque fere omnia quæ ecclesiastica doctrina continentur. Hanc solam scoticæ doctrinæ faciem, alteram negligentes, extulerunt laudibus, periculosaque attenuare aut excusare tentaverunt, Schlueter, Staudenmaier, et alii. Duæ nempe

[1] P. 874.
[2] P. 893.

istæ apud nostrum doctrinæ ubique mixtæ apparent, sese intersecant, impediunt, implicantque, inter se invicem pugnant aut latus lateri conserunt, modo ingenue et sine fuco, modo mille adjuvantibus astutiis subtilitatibusque. Nos autem jamdudum monuit Erigena, quippe qui fateretur ea quæ affirmet *cataphatica* theologica verius ab *apophatica* negari : Affirmativam vicissim et negativam habemus, illam infirmæ hominum menti accommodatam, hanc æternæ congruentem veritati. Quid ergo? Num larva usus est, num specie falsa lectores decipere voluit, et philosophica ecclesiastico vestimento induere, ut facilius tolerarentur? Non omnino possim eum tali accusatione absolvere. Tot et tantis interdum usus est prestigiis et quasi captionibus ut suas opiniones receptis aptaret verbis sententiisque, üt ejus ingenii acumen fugisse non potuerit quam subtiliter et parum solide hæc dicta fuerint. Sed tanti momenti erant et tam insolita, præsertim his temporibus, quæ animo meditabatur Scotus, ut non ausus fuerit ea « veluti quædam deliramenta[1] » aperte profiteri? None jam initium exemplumque talis accomodationis præbet allegoria, quam omnes, nullo excepto, Ecclesiæ patres doctoresque adhibuerant? Quidquid impedimentum afferret, quidquid in sacris libris moveret suspicionem, in allegoriam vertebant, a vero sensu ad alium transferebant subditilium, atque ita inter se subtilitate contendebant. Forsan et Erigena paulo longius extendit allegoriam, quam ab Ecclesiæ manibus acceperat omni modo paratam, et non solum Scripturam sacram, sicut et ceteri, sed etiam totam Ecclesiæ theologiam typice interpretatus est.

[1] P. 880.

Non tamen credibile videtur talem virum, quem ejus scripta tam nobilem, purum, piumque exhibent, Dei sanctissimum nomen, christianam fidem, consuetudinem precandi, et quidquid in pietate sacrum in vanam simulationem attulisse. Expertus erat « plura his terris et in cœlo esse quam quæ contineret ejus philosophia; » quod inclementer recidebat dialectica, nihilominus vita vindicabat, quæ sine Deo patre, sine Christo fratre, sine libertatis usu et conscientia, sine divino precationis adjumento, sine spe firma immortalitatis animi, non in volubilem immanis naturæ gurgitem demergendi, vix vitalis foret! Apud Scotum Erigenam occurrit nobis æternum illud certamen quod inter philosophos et Ecclesiam committitur, in Ecclesia ipsa inter theologos, quin etiam, in unoquoque nostrum : dialectica scilicet et commune insitum omnibus judicium, logica ratio animusque vivendi avidus, intellectus et sensus, aut si mavis, spiritus et natura, infinitum finitumque, Deus et homo oppositæ sunt complexionis seu dilemmatis partes, quas inter se componere genus nostrum sine intermissione ac frustra laborat. Laboravit quoque in hoc opere sublimi Johannes Scotus assidue, et aliquando via defessus huc illuc proclinatus est, tantæque molis sub pondere ingemuit: « Inter hæc sibi invicem repugnantia, veluti inter æstuantis Oceani fluctus, cautesque quas allidunt afflictus, longa et inextricabili deliberatione fatigatus convolvor, nullamque viam evadendi reperio! » (p. 923).

Vu par le président de la soutenance.
Strasbourg, le 20 novembre 1866.
RICHARD.

Permis d'imprimer.
Strasbourg, le 21 novembre 1866.
Le Recteur, A. CHÉRUEL.

INDEX.

PROPOSITIONES.

I. Ut in omnibus scientiis, ita in theologia, nulla nisi ipsius veritatis auctoritas valere debet. Veritas autem tempore suo per se illucescit mentibus humanis.

II. Res periculosa est, religionem christianam scepticorum rationibus aut doctrina summæ pravitatis hominum fulcire. Non autem aliter defendi potest orthodoxa fides.

III. Confessione fidei nulla ecclesia carere potest.

IV. Non fato, sed paterna Dei voluntate omnia reguntur : Dei autem voluntas nulla vi nec precibus ullis mutatur.

V. Si precibus nostris Dei consilia mutare possemus, nullus homo, nisi stultissimus, precaretur. Precantur autem pii, vi intima coacti, ut in divina voluntate, Christi exemplo, acquiescant.

VI. Servum esse hominis arbitrium tum philosophia quum theologia demonstrant.

VII. Libero arbitrio præditus est homo, quatenus se liberum esse necessario credit.

VIII. Doctrina Pauli Calvinique de Prædestinatione, nedum serviles, multo magis liberos et fortes reddit Christianos, quippe qui se in sola et paterna Dei potestate esse cognoscant.

IX. Nunquam malum, quia malum est, appetunt homines, sed quid vere bonum sit, ignorant.

X. Quum Deus sit omnium auctor rerum quæ sunt, aut peccati auctor est, aut peccatum non est. Nihil autem est peccatum nisi boni defectio.

XI. Caritatis ac sanæ rationis leges pariter infringit, quicunque hominem ullum in æternum errare aut infelicem permanere posse asserere audet.

XII. Quæ promittunt vel minantur prophetæ nequaquam pertinent ad æternam, sed ad terrestrem vitam, magisque spectant ad populorum quam ad singulorum hominum sortem.

XIII. Majus quid Protestantismus est quam reditus ad Apostolorum doctrinam.

XIV. Reformatio apud Germanos in agendo timidior fuit et magis propensa ad conservandas catholicismi reliquias, quam apud Helvetios Gallosque; hi quoque (Reformati scilicet), aptiores sunt ad exsequendam factis ecclesiæ christianæ jam instantem renovationem.

XV. Simul et una sunt erroris expertes Ecclesia quæ ante sæculum decimum sextum vigebat, et ea, quæ Novum Testamentum vocatur, sacrorum librorum collectio, aut in errorem ambæ cadere potuerunt.

XVI. Primum locum obtinet inter omnes ecclesiasticæ historiæ scriptores Ferdinandus Christianus Baur.

XVII. Sacramenta nihil nisi figuræ sunt, quibus jam sine detrimento carere potest ecclesia nostra.

XVIII. Jesu ἀναμαρτησία historicis, ut dicitur, testimoniis nec affirmari, nec negari potest.

XIX. Sancta Domini Jesu vita maximam confert Evangelio virtutem.

XX. A quo tempore et quo sensu Jesus se Messiam esse professus fuerit nostris in Evangeliis investigare, res est plena dissensionis nec ad liquidum redigi potest.

XXI. Ex his quæ nunc habemus documentis, a nullo teste oculato ortis, nunquam haurietur certa Jesu biographia,

XXII. Quam nobis deficere non sivisset Deus, si fuisset ad salutem necessaria. Necesse est autem, non ut Jesu dicta aut facta ad purum cognoscamus, sed ut ejus, ut ita dicam, in nos suscipiamus animum qui deinceps e terris nunquam evanescet.